



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XLIV. S. Bonifacivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

nitudinem dare possunt, quæ maximè in ordinationibus operatur.

ITEM Martiano Episcopo per^m epistolam iussit, quatenus eos^m *epist. 21.*
clericos in communionem suscipiat, quos Bonosus, antequam da-
mnaretur, ordinasse cognoscitur.

ITEM scribit^a vniuersis Episcopis in Toletana Synodo con-^a *epist. 24.*
stitutis, & dicit, quod de ordinationibus ab Hispaniæ Episcopis il-
licite factis fuerat aliquid secundum maiorum traditionem statuē-
dum, nisi perpenderet inde in Ecclesiis quamplurimas perturba-
tiones mouendas. Et enumeratis illis, quæ illicitè gesta esse cogno-
uerat, subiungit ita. *Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos
motus aut scandala Hispaniensibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de stu-
dio emendationis inducemus. Idcirco remittenda hæc potius putamus. Sed
prouidendum esse mandauit, ne deinceps talia committantur.*

XLIII.

S. ZOSIMVS.

A. ccccvii.

ZOSIMVS, natione Græcus, ex patre Abramio, sedit annum 1.
menses 3. dies 11. Hic ordinauit Episcopos 8. presbyteros 10.
diaconos 3. Solutus est. a. de ergastulo corporis 8. Kalend. Ianuarii.
Hic^a epistolam * Hesitio Salonitano Episcopo scripsit, in qua de^a *epist. 1.*
monachis, quorum solitudo quauis frequentia maior est, & de lai-
cis ad Episcopum festinantibus præcepit, ne quis eorum contra
Patrum præcepta, qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non
fuisset imbutus, & tēporis approbatione diuinis stipendiis est eru-
ditus, vllatenus ad sumum Ecclesiæ sacerdotiū aspirare præsume-
ret, & non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum & in or-
dinatores eius, vt carerent eo ordine, quem ordinem contra præ-
cepta Patrum crediderant præsumendum.

XLIV.

S. BONIFACIVS.

A. ccccix.

BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Iocundo presbytero,
sedit annos 3. menses 8. dies 7. Hic in contentione vna die cū
Eulalio ordinatur. Et fuit ista dissensio in clero menses 7. & dies 15
Eulalius verò ordinatur in Ecclesia Constantiniana, Bonifacius in
basilica Iulii. Placidia autē Augusta Rauennæ residens cū filio suo
Augusto Valentiniano, audiens hoc, quod Romæ factum fuerat,
Honorio Augusto Mediolani sedēti notificauit. Vnde vterq; missa
imperiali auctoritate ambos de vrbe expelli iusserunt. Sed postea

Eulalius omnino expulsus est, & in Campaniam missus, ideo quia Sabbatho Paschæ contra edictum Imperatorum officium Pontificis præsumpsit, eo quod ordinatus fuerat in basilica Constantiniana. Bonifacius verò consensu & præcepto Imperatorum in urbem est reuocatus, & in sede stabiliter constitutus. Hic ordinauit Episcopos 36. presbyteros 13. diaconos 3. Defunctus est autē 8. Kal. Nou.

^a epist. 2.

3. 9. 9. c. decernimus.

^b in rescripto ad 1. ep. Bonifacii.

Hic Gallicanis Episcopis ^a epistolam direxit, in qua iubet pro Maximo Episcopo, qui à Valentinae urbis clericis accusatus multotiens iudicium subterfugerat, intra prouinciam Synodum aggregandam: vt si ille adesse voluerit præsens, si confidit, ad obiecta respondeat, si adesse neglexerit dilationem sententiæ de absentia nõ lucretur, quia manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & totiens delegato iudicio purgandi se voluntate non utetur. Prædicti Papæ temporibus, ipso consentiente & laudante, Honorius Augustus de constitutione Romani Pontificis, vt sine ambitione fieret, ita ^b instituit, dicens. *Deniq; prædicante beatitudine tua id ad cunctorum clericorum notitiam volumus peruenire, vt si quid forte religioni tuæ, quod non optamus, humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum; & si duo contra fas temeritate certante fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem, sed illū solum in sede Apostolica permansurū, quem ex numero clericorum noua ordinatione diuinū iudicium, & vniuersitatis cōsensus elegerit.* Hic etiā constituit, vt nulla femina aut monacha palam sacratam cōtingeret, aut lauaret, aut incensum per Ecclesiam, nisi ministri, portaret. Prohibuit etiam, ne seruus, aut curiæ obnoxius clericus fieret.

XLV.

S. CÆLESTINVS.

A. ccccxxiii

^a epist. 1.

CÆLESTINVS, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos 8. menses 10. dies 17. Hic ordinauit Episcopos 46. presbyteros 32. diaconos 12. migravit autem ad Christum 8. Idus April. Hic Gallicanis Episcopis ^a epistolam direxit, in qua monet eos, vt presbyteros illos, qui indisciplinatas quæstiones in medium afferebat & veritati aduersantia prædicabant, & Ecclesiarum dissensionibus studebant, corripiant, & non patiantur eos habere liberum pro voluntate sermonem, quia non debet discipulus ad Doctorum iniuriam sibi vendicare doctrinam. Idem dicit, vt Episcopi prædictos presbyteros talia eloqui non permittant, *quia in talibus causis non caret taciturnitas suspitione, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque, inquit, causa nos respicit, si silentio faueamus errori.*

Item Episcopis per Viennensem & Norbanensem prouinciā

con-